



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Veritas Catholica. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Athanas.

Anthropomor-
phica.

Nazian.

Aristoteli.
Deum non
esse ubique
existimant.Manichaei
in eodem er-
rore versati
sunt.Eugubius,
Psal. 138.
Eugubius.
Dicitur in coe-
lo tantum
per presen-
tiam, & ef-
fectum esse
existimant.

S. Thom.

Peripatetici,
Platonici,
Tullius.
Tales Milesi-
osus.
Sententia est
Peripatetico-
rum Deum
ubique exis-
tere.
Heracleti.

DEam ubique esse, ita compertum est, ut teste Athanasio in oratione contra idola post medium, ratio, & fama id apud omnes obtinuerit. Quia vero ratione S. Thomas id confirmat, sequenti disput. videbimus. Ceterum non defuerunt, qui in re adeo nota, & peruulgata turpiter errauerint. Mitto Anthropomorphitas, contra quos ex professo disputauimus supra disput. 21. qui affirmantes Deum corporatum esse, ipsum quoque finito, ac determinatum aliquo loco contineri, cogeabant asserere: quamuis hic error de ipsis expresse non referatur: neque enim corpore suo posset totam rerum visibilibus molem penetrare, ut ubique esset. Quocirca optime Nazianz. orat. 34. quae est secunda de Theologia probat, Deum non esse corpus, quia secundum diuinam Scripturam ubique est. Id quod fieri (inquit) non posset, si corporatus esset.

Sed ex ijs, qui Deum spiritum esse dixerunt, fuerunt aliqui, primum Philosophi, deinde haeretici, postremo viri alias Catholici, qui Deum in omnibus rebus non esse affirmarunt. In primis Aristoteles lib. de Mundo ad Alexandrum asseruit, ipsum non esse alibi, quam in caelo: sicut Rex Persarum non in omnibus ciuitatibus, sed in regia urbe Ecbatanis, aut Suis esse solet. Nec solum in eo libro, quem multi Aristoteli esse negant, sed primum etiam de caelo cap. 9. circa finem, Deum, omnesque intelligentias, & spiritus non intra, sed extra caelum esse contendit. Post Arist. in eodem errore videntur fuisse Manichaei, contra quos disputat August. in libro contra Alexandrum fundamenti c. 16. quod Deum in aliquo loco concludere viderentur.

Postremo ex Catholicis Augustinus Eugubinus in ea verba Psal. 138. *Si ascendero in caelum, tu illic es, &c.* asseruit, Deum essentia, ac praesentia sua in caelo tantum esse, sicut Sol sicut, & corpore suo in caelo tantum est. Sed quemadmodum Sol omnia haec inferiora loca illuminatione sua peruat, nec fordidis rebus, quas illustrat inquinatur, sic Deus (inquit Eugubinus) omnibus rebus, & locis inferis cognitione sua adest, omniaque perlustrat, ac proinde nec locis inferis perturbatur, nec laeditur: quod non substantia sua, & praesentia, sed sola notitia, & cognitione in eis sit.

CAPVT II.

Veritas Catholica.

Catholica vero doctrina philosophis etiam probatissima est, quam tradit S. Thomas in hoc art. nempe Deum substantia sua in omnibus rebus esse. Supponimus autem ex q. 3. ipsum esse spiritum, & omni etiam subtilissimo corpore carere. Hanc autem in primis esse Peripateticorum, & Platoniorum opinionem docet Tullius in prima Academica: refert quoque Arist. lib. de Anima c. vlt. text. 86. & de Caelo ad Alexandrum, Talerem Milesum dixisse, omnia esse Deorum plena. Idem Aristot. 1. de partibus animalium cap. vlt. narrat Heraclitum dixisse eis, qui ad ipsum visendi gratia veniebant, nec ad ipsum ingredi volebant, quod in cala furnaria esset, *ingredimini, quia nec huic loco Dii desunt immortales.* Extat etiam praeclearum Orphei testimonium apud Clementem, Alexandrinum, & Cyrillum, quod paulo post subiiciemus

Deinde haec est communis sententia Patrum, inter quos praeter Athanasium, & Nazianzenum iam commemoratos, & alios plures, quos seq. art. enumerabimus, Chrysostom. homil. 5. in c. 2. ad Colof. Deum ubique esse, certa fide credendum affirmat. Ex professo etiam id docuit Augustin. lib. 7. de ciuit. cap. 30. ubi inter alia de Deo inquit: *Implens caelum, & terram praesente potentia, non absente natura.*

Ad haec in Scriptura sacra sunt manifesta huius veritatis testimonia. Hierem. 23. *Caelum & terram ego impleo, & Psal. 138. Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades, &c.* ubi dum assignat extrema mundi loca, in quibus dicit esse Deum, in reliquis quoque omnibus partibus ipsum esse, plane indicat. Nec fas est haec, & plura alia Scripturae testimonia alio modo, quam de praesentia secundum substantiam interpretari. Nisi enim hoc modo essent intelligenda, non diceret Scriptura Hierem. illo 23. *Caelum, & terram ego impleo, & 3. Reg. 8. stenim caelum, & caeli caelorum te capere non possunt, & Iob. 11. Excelsior caelo est, & quid facies, profundior inferno, & vnde cognoscies? longior terra mensura eius, &c.* In quem sensum haec & alia complura Scripturae loca Sancti Patres intellexerunt. Quocirca Scholastici Doctores inter alia Dei attributa immensitatem merito connumerant, quae non solum ab omnipotentia, & aeternitate, sed etiam ab infinitate essentiae ratione differt, ut notauimus disput. 25. cap. 5.

Quod vero in confirmationem suae sententiae afferebat Eugubinus, friuolum plane est. Quamuis enim Deus substantia sua rebus sordidis intime adhaeret, stulte quis suspicaretur ab illis ipsum inquinari posse, cum summè spiritualis sit. Id quod optime explicant Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacra. p. 3. cap. 17. & Magister in 1. d. 47. c. Solus, exemplo animae rationalis, quae quia spiritus est, à corpore leproso non inficitur. Idem exemplo Solis demonstrauit August. lib. de Agone Christiano c. 18. & de natura boni cap. 29. Ostendunt quoque rationem, cum sit Deus spiritus, ac proinde immutabilis, etiam si locis inferis tormentorum substantia sua praesens sit, perturbari nequit, sicut neque à corpore inquinari.

CAPVT III.

Quibus modis Dei praesentia in loco describitur.

Non solum Deus in Scriptura in loco esse dicitur, sed peculiari quadam ratione praesentia eius in loco significatur. Dicitur enim in caelo esse, tanquam in sede, & throno, terram autem illi esse, tanquam scabellum pedum suorum. Quem modum loquendi varie Doctores intellexerunt. Eo autem vitur Scriptura Isaia 66. & alibi saepenumero. Quo pacto Dei locum, & magnitudinem explicauit etiam Orpheus apud Clementem Alexand. lib. 5. Stromat. prope nem, & apud Cyrillum lib. 5. contra Iulianum post medium, Cyrillus ergo in eum locum Isaia, ita explicat. Cum Deus sit in rebus omnibus, pretiosiores, quae nomine Caeli significantur, dicitur habere tanquam sedem, & thronum: viliores vero, quae terra denotantur, suppedaneum eius esse dicuntur.

Id ipsum alio modo explicat Damascenus lib. 1. de fide cap. 16. ut Caelum Dei sedes dicatur, quod ibi sunt Angeli beati, qui ipsius voluntati obsequuntur.

Patrum com-
munis sen-
tentia.
Chrysost.
August.Ex scriptura
ostenditur.
Hier. m. 23.
Psal. 138.Scholastico-
rum placitum.Diluitur
fundamentum
Eugubii.
Hugo.
Magist.
August.Cur Caelum
sedes, terra
scabellum
Dei dicatur?
Isaia 66.
Orpheus.
Cyrillus

Damasc.